

acrius rebus urgentibus, cum summam auctoritatem apud Helvetiam gentem habeat, ut tria millia, si opus fuerit, Venetorum ære militaturos, ab ea Republica mittantur, agat: in Græciam præterea, & Dalmatiam missi, qui leviorum equitum magnum numerum in Italiam adveherent. E Piceno Urbinas Venetarum copiarum Imperator in Galliam Cispalinam venire jussus, ut statim arces, atque urbes inviseret; præfidiis firmaret; & quæcumque ad Venetam ditionem servandam necessaria forent, sedulo perficeret. Patriciæ quoque gentis a Senatu, ut præcipuarum urbium custodiæ præessent, designati sunt; octo Veronam missi, Zacharias Aurius, Philippus Cornelius, Alexander Donatus, Ambrosius Contarenus, Hermolaus Barbarus, Augustinus Canalius, Laurentius Sanutus, Joseph Baduarius; singulis vigintiquinque milites attributi, quibus, & portas, & plateam, atque alia loca tuerentur. Petrus Sagredus, ac Hieronymus Diedus, ambo a prima juvenia terrestri militiæ assueti, qui magna apud cives virtutis opinione florebant, alter Patavium cum centum & quinquaginta peditibus; Tarvisium alter cum totidem destinati sunt. Missus præterea in Galliam Andreas Rubeus, ut Regem de præsentis rerum statu moneret, atque ad Italicam expeditionem accenderet; ut Germani quamcellerrime progredierentur, Helvetiorum militum delectus haberetur, pecunia a Rege submitteretur, omni studio laboraret. A Florentinis quoque, ut Galliæ Cispalinæ, quibuscumque rebus possent, suppetias ferrent, petitum; in qua si hostibus obsisteretur, Neapolitanum bellum prospere confectum iri, eorumque Rempublicam nullis hostium incursibus objiciendam fore.

*Græcorum & Dalmatarum equitum delectus a Senatu habiti.*

*Urbinas in Cispalinam Galliam vocatur.*

*Patricii Veneti ad custodiam urbium missi.*

*Andreas Rubeus in Galliam proficiscitur.*

*Veneti a Florentinis subsidia petulant.*

Nunciis de Cispalinæ Galliæ discrimine ad Regem perlatis, cum magnum Reipublicæ, haud exiguum cunctis foederatis certamen imminere existimaret, paulo attentius, qua ratione propelli hostes possent, disquiri cœptum; cum vereretur, ne Lautrechio Neapolim obsidenti, conjunctis copiis, victoriam e manibus eriperent; aut, nisi validioribus præfidiis Gallia Cispalina firmaretur, a Neapolitana expeditione nostri averterentur. Itaque statim decem Germanorum peditum millia, quo numero continebantur illi quos pridem Respublica petierat; duo præterea Gallorum millia, quingentos cataphractos hastatos equites